

einmal verzehlt 4. III. 1915

Siffert. theol. 221. 35

~~III-15~~ EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.
VITEBERG.
VI-15.
SIGNAT. CLIXCCCXIII.

1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18.

2. D. B. V. 54

56.

MELCHISEDECVM

AB

HENRICO HVLSIO

IN

GENTILI MYTHOLOGIA FRVSTRA QVAESITVM,

SVB AVSPICIIS

RECTORIS MAGNIFICENTISSIMI,
SERENISSIMI PRINCIPIS REGII, ET ELECT. SAX.

HEREDIS,

D O M I N I

DN. FRIDERICI AVGVSTI

PVBLICAE VENTILATIONI

SISTENT

PRAESES

M. IO. HERMANNVS von Elstwich |

RENDESBVRGENSIS

ET

2. D. B. V. 54

56.

MELCHISEDECVM

AB

HENRICO HVLSIO
IN

GENTILI MYTHOLOGIA FRVSTRA QVAESITVM,

SVB AVSPICIIS

RECTORIS MAGNIFICENTISSIMI,
SERENISSIMI PRINCIPIS REGII, ET ELECT. SAX.

HEREDIS,

D O M I N I

DN. FRIDERICI AVGVSTI

PVBLICAE VENTILATIONI

SISTENT

PRAESES

M. IO. HERMANNVS von Elstwich /

RENDESBVRGENSIS
ET

RESPONDENS

ANDREAS ARGYREVS, TESCHINIO-SILESIVS

SS. THEOL. ET PHILOL. CVLTOR.

Ad D. XIX. IVL. A. O. R. 1700

H. L. Q. C.

VITEMBERGAE

LITERIS KREISIGIANIS.

MEL. CHISEDECVM

AB
HENRICO HVALSIO
IN

GENIUM MYTHOLOGIA
FRVSTRA QVAESTVM.

RECTORIS MAGNIFICENTISSIMI
SERENISSIMI PRINCIPIS REGII ET ELECT. SAX.
HEREDIS

D O M I N I
DN. FRIDERICI AVGVSTI
PVBLCAE VENTILATIONI

PRÆSES
M. IO. HERRMANNVS von GERSDORF

ANDREAS ARGVREVS, DRACHEN-SELBVS
SE. TACIT. ET. HIC. C. T. T. O. R.

FRANKFURT
L. T. P. R. I. S. T. I. C. I. A. N. S.



MEL. CHISEDECVM

HENRICO HALLIO

IN

GENIUM MYTHOLOGIA

FRVSTRA QVAVSITVM

RECTORIS MAGNIFICENTISSIMI
SERENISSIMI PRINCIPIS REGI ET ELECT. SAE.

HEREDIS

D O M I N I

DN. FRIDERICI AVGVSTI

PVBlicae VENTILATIONI

EXISTENT

PRINCEPS

M. IO. HERRMANNVS von Gienitz

ANDREAS ARGENTVS, DE SPINNO-SILSIS

בשהק

§. I.



Vanto hac aetate studio in Gentilium fabulas fuerit inquisitum, nemini incompertum esse iudico. Non parum enim vtilitatis rebus sese Christianis adferre viri eruditi credebant, si probatum darent, earum, quas Scriptura commemorat, historiarum, nec leues, nec exiguas, in gentilium quoque mythologia occurrere scripturas.

§. II. Eiusmodi post EVSEBIVM, BOCHARTVM, et alios, praefixum sibi scopum I. BOMPARTIVS habuit, cum Amstel. 1689. *Parallela Sacra et profana in Genesi* promulgaret. Quorum licet depraedicandi sint labores, omnium tamen in hoc studiorum genere conatus superasse videtur P. D. HVETIVS, quod vastus ille de *Demonstratione Evangelica* liber testimonio, vt puto, sat luculento comprobatur. Sed, quae communis eruditorum fors est, laudatus ab his, culpatus ab illis fuit. Quam parum ipsi, (ne de aliis dicam) P. IVRIAEVS faueat, in *Historia sua Critica* satis prodidit. Non tamen grauior in eum censura dicta a quopiam est, quam nuper a I. TOLANDO in *Originibus Iudaicis*, vna cum Tract. *Adeisdæmon, sive Titus Linius a Superstitione vindicatus*, Hag. Comit. 1708. in lucem editis. Ast nimis plerumque in ferendis de aliorum laboribus iudiciis sumere sibi IVRIAEVS solet; quo fit, ut aliorum denotio in se calamos concitet. IO. LIGHTFOOTVM quis haecenus, quaeeso, non admiratus est? quamuis enim nonnunquam iusto plus Talmudi indulgeat, hincque multoties errores exegeticos paupertiter et dogmaticos committat, quos CAL OVIVS, SCHMIDIUS, et pec. Schediasm. Summe Veni. D. D. G. H. GOETZIVS, Patroter filiali obsequio submisit colendus, notarunt; nemo tamen eundem ruiditionis eidem gloriam, et eximiam linguae Ebraicae peritiam denegare ausus est. Hunc vero plagii IVRIAEVS arguit, et quos confecit, labores, omni, quo potest, nisu non simplici vice in libro iam cit. eleuauit. Male igitur haec res I. CLERICVM habuit, qui T. V. de la *Bibliorheque Choisie* adeo grauiter inuectus in IVRIAEVM est, vt is suam, quam exercuerat, *xptian* defendere necessum habuerit, ceu testatur *Supplement a l' Histoire Critique* A. 1705. ed. p. 7.

§. III. Nec plus TOLANDI tribuendum est iudicio. Nam huius furfuris hominibus nihil solet esse molestius, quam si Atheismo, cui impense fauent, rimae obstruantur, et diuina, quam supprimere laborant, veritas iustis rationibus statuminetur. Non equidem ab omni HVETIVM errore absoluo. Homo fuit, adeoque cum ceteris errandi periculo obnoxius. Nec me praeterit, quid cum Theologi, tum alii, in eius desiderarint methodo. Interim tamen meliore et aequiore dignus censura erat, quum tantam eruditionis copiam, vastamque Scriptorum lectionem, suo in opere demonstrarit, vt vix maior exspectari ab alio possit. Confessi id sunt Summi Viri I. F. MAYERVS et S. PVFENDORFIVS, quorum iste HVETIVM non tantum ab Atheismo, cuius ab aliis postulatur, vitio, in *pecul. Program.* liberat, sed et in *Diff. Vtrum Eccl. recent. ius habeat ex libro non-Canon. V. T. faciendi Canonicum*, illum dicit *suo encomio longe maiorem, et suffragantibus omnibus, qui aut solidam eruditionem intelligunt, inter praecipua seculi huius ornamenta referendum.* Demonstrationem Euangelicam commentarium vocat incomparabilem, cuius auctorem veritatis Euangelicae confessoribus accensere minime dubitat. PVFENDORFIVS in Epist. ad Fratrem Eliam, *neque ex antiquis Patribus, neque e recentioribus Scriptoribus ullum in hoc genere opus se vidisse testatur, cui Huetii scriptum non aequiparari, aut anteferri mereatur; quam laudem quicquid est bonorum et solide doctorum Huetiano libro libenter esse daturum, certo certius credit.* Cur autem TOLANDO se minus probauerit, haec procul dubio erit ratio, quia labor ille eius hypothese, qua Iudaei non ex Patribus, sed Aegyptiis descendere finguntur, obstabat. Persuadendi ergo alii erant, HVETIVM in citandis antiquis Scriptoribus mala egisse fide, eamque ob rem nullam iterum fidem mereri. Sed IAC. FAYVS in *Defensione Religionis, nec non Moysi et Gentis Iudaicae* Ultraieci. 1709. 8. ed. TOLANDVM castigauit, et vindicias pro HVETIO instituit: cuius Tractatum, quum stylo adeo mordaci recensuerit, notaveritque *Hallensis ille nouellae Bibliothecae compilator*, TOLANDI quasi apologetam agens, non dubito, quin eandem omnibus de se opinionem ingenerauerit, quam iam diu rectius sentientes de TOLANDO conceperint. Nam

Nosciatur ex socio, qui non cognoscitur ex se.

§. IV. Quamuis igitur huiusmodi conatus omni laude prosequendos iudicem; est tamen, quod in iisdem limam meretur. Videbis enim alios, suae inferuentes hypothese, vniuersam mythologiam ad vnum aliquem applicare; alios, omnes, quas ea continet,

net, fabellas, ne vlla quidem omiffa circumftantia, e Scripturis repe-
 re. Vtrumque certe parum proficuum eft. Priori namque modo
 omne, quod ex mythicis fperari poterat, fubfidium tollitur, et v-
 niuerfa illa Theologia incerta valde redditur. Quibus vero po-
 fterius placet, illi videant, ne quid a fe admittatur, quod non fal-
 lum modo, fed et Christianis rebus minus conueniens fit. Nam (1)
 parum fanctiffimorum hominum dignitati confultitur, quando per-
 fonae illis dantur spurcae, et inferno magis, quam coelo dignae.
 Theologia enim mythica ipsis Gentilium fapientioribus pes-
 fime audiebat, nec dubium mihi eft, quin PLATO eam ob cau-
 fam Poetas ex vrbe et Republica eiici iufferit, quia talia de Diis
 referebant, quibus homines non poterant non ad flagitia, eadem-
 que horrenda, accendi. Nec mitius de eadem fenerunt veteres
 Ecclefiae Patres, vt vel ex folius LACTANTII monumentis liquet.
 (11) quis crederet, HOMERVM gentis Hebraeae defcripiffe histori-
 as? HVETIO tamen in *D. E. Prop. IV. c. II. §. 3. p. 85.* iudice *sexcenta*
deprehendere licet e Mofe defumpta. Et quod HERNSIVS in *Arist. S. P.*
I. c. 1. demonftrandum in fe recepit, omnia nempe ex Oriente de-
 fumpiffe HOMERVM; id integro postmodum libro, cui titulus:
Συμπλοκή τῶν ἱστοριῶν τῆς ἑβραϊκῆς ἀπὸ τοῦ ἑλλήνων ἑβραϊκῶν ὀνομάτων
et fententiis defcripta in Odyfsea et Iliade, Dordr. 1708. edit. perfecutus eft
 GERARDVS CROESIVS. Pariter H. HVLSIVS *de Melchised. ch. c. VIII.* Tro-
 iam, Ilium et Palladium *p. 264.* de vrbe DEI, Paridem vero et Achil-
 lem *p. 271.* de Simfone, fed absurdiffime, interpretatur. Qui omnes
 eundem applaufum obtinebunt, quem ZACHARIAE BOGANI
 HOMERVS ἑβραϊκῶν iam pridem confecutus eft (111) Vanum eft
 omnes fabulas, cum omnibus, quas Poetae finxere, circumftan-
 tiis e Scripturis enucleare. Quod fi enim verum, quod HERODOTVS
 refert, et ex eodem ipfe HVETIVS *l. c. cap. VIII. §. 1. p. m. 176.* repetit,
 conceditque, *magnam Theogoniae partem ab Homero et Hesidio fuiſſe oc-*
cogitatam: nonne quaeſo omnis illa, quae in his enucleandis oc-
 cupatur, opera vana erit et fruſtranea? Certe h. m. fabulae in Scri-
 pturas inferuntur, non ex iisdem efferuntur. Et quis non facillime
 admitteret, Graecos, fi quas forſan a Iudaeis acceperint historias,
 variis inuolucris obtexiſſe, et, ne plagium appareret, nouis cir-
 cumftantiis, et multis ſuperadditis fabellis auxiſſe? (1v) Denique
 non video, vnde Graecis tam copioſa rerum ſacrarum notitia ob-
 tigerit. Vix enim ullo argumento, eodemque idoneo, demonſtrari
 poterit, ante tempora Monarchiae tertiae aliquod Graecis
 cum Iudaeis interceſſiſſe commercium. At quis negabit, mytho-
 logiam

logiam illis temporibus esse vetustiore[m] ? Hinc ad vnum omnes eo se recipiunt, haustam eam esse ab Aegyptiis, Iudaeorum quondam familiaritate usis.

§. V. Sed non nego, Graecos discendi gratia in Aegyptum se contulisse, ibidemque suam Philosophiam addidicisse; quamuis *Le Temple Sinensibus* Graecanicae Philosophiae originem tribuere malit. Aegyptiorum enim narrationibus Graecos vehementer fuisse delectatos, scriptores testantur. *Heliodorus* L. 2. *Αἰγύπτιον*, inquit, *ἀκρῆμα καὶ διήγημα πᾶν ἑλληνικῆς ἀκοῆς ἐπαγωγότατον*. Interim tamen de Aegyptiis quaestio remanet: An Iudaeorum Sanctos religiose coluerint? Et id, quod ingenue fateor, parum mihi probabile videtur. Aliud namque suadet (α) Aegyptiorum indoles. Laborabant illi summa quadam *φλευρία*, et hinc alios, diuersis moribus institutisque vtentes, despiciatui habebant. Insuper, IOSEPHO teste, animo parum beneuolo gentem Iudaicam complectebantur *φαίρονται*, inquit L. 1. *contr. c. p. 1239. μάλιστα πρὸς ἡμῶς δυσμενῶς διατείντες καὶ μὲν ἀπαντες Αἰγύπτιοι*. Et licet Iosephus toti Aegypto praesset, et secundum a Pharaone locum teneret, tamen religioni sibi ducebant, cibum cum eodem, ex Hebraeis oriundo, capere, quippe quod abominationi Aegyptiis erat. *Gen. XLIII. 32*. Neutiquam ergo credo, quod illorum, quos abominabantur, et suis quondam seruitiis addictos habuerant, parentes colendos sibi sumperint, inque Deorum numerum collocauerint. Nec (β) vel Scriptura, vel alia vetustatis monumenta, vllum huius rei testimonium praebent: cum contra *Herodotus* de Aegyptiis referat L. II. c. 78. *πατρίοσι χρεώμενοι ἰόμοισι, ἄλλον ὕδνα ἐπιπέωνται*, idque ideo forsam, quoniam se solos sapere existimabant. Hinc nonnunquam, ad vindicandam sibi eruditionis gloriam, certamina cum aliis, et Graecis praecipue, inierunt, in quibus palmam semper reportarunt. ANONYMVS in *Veteri Orbis Descript. c. XVlll. p. 16*. *ὤμοις*, inquit, *ἄνδρας σοφῆς ὑπὲρ πάντα κόσμον Αἰγυπτῶς περισσέουσι -- τοιγαρὲν ποτὲ ἀγῶνος γυνομένη τῶν Αἰγυπτίων καὶ ἑλλήνων, τίς αὐτῶν τὸ μυσῆϊον λάβη, δευρότεροι καὶ τελευταῖοι εὐρημένοι οἱ Αἰγύπτιοι, καὶ ἐνίκησαν, καὶ τὸ μυσῆϊον πρὸς αὐτοὺς κέρηται*. Quibus propositis ita in eorum laudes effunditur: *καὶ ἀδύνατόν ἐστιν, ἐν ὁποίῳ πράγματι εὕρισκιν ἐθέλοις σοφόν, ὡς περ Αἰγύπτιον καὶ διὰ τῆτο πάντες οἱ φιλόσοφοι, καὶ οἱ τὴν σοφίαν τῶν γραμματικῶν εἰδότες, οἱ ἰκῶ ἐπιεῖναν, κρείττονες ἦσαν*. Ne vero quis excipiat, dicta haec modo de recentioribus esse, eum considerare iubeo Stephanum, in Mosis gloriam enarrantem, quod *edocēus fuerit omnem sapientiam Aegyptiorum Act. VII. 22*. cum quo conspi-

conspirat, quando Salomonis sapientia omnium Aegyptiorum excellentior fuisse dicitur *1. Reg. IV. 30.* Hinc factum est, ut ipsimet quoque Iudaei, Aegyptiorum celebritate moti, ad eorum pariter religionem animum applicarent, et, quam illi fouebant, idololatriam omni, quo poterant, studio imitarentur. Vid. *1os. XXIV. 14. Ezech. XXIII. 3. 19.* Et quis in vituli aurei confectioe idololatriae, in Aegypto quondam exercitae, vestigia non deprehendit? FRANCISCVS quidem MONCAEVS virulum hunc non ad Apidis, sed ad Cherubinorum, qui in arcae structura postea erant, imaginem, confectum praetendit: sed eius sententia mera est Scripturae *ερεβλότης*, iam dudum a ROB. VISORIO refutata.

§. VI. Haec praemittere volui, quia Hulsium in utroque, quem notauimus, errore versari, video. Nullam enim tota ferme mythologia fabulam continet, quae non ipsi de Henocho agere videtur, sic vt plane nesciam, qua fronte ille Huerium non semel castigarit, oborto, vt ait, collo ad Mosen omnia rapientem. Nonne

Turpe est consori, cum culpa redarguit ipsum?

Nec minus vniuersam Theologiam mythicam cum omnibus suis circumstantiis e Scriptura deriuandam esse arbitratur. Inde namque in *Proleg ad Lect.* illi proueniunt flosculi: *Quin et fabulosa gentilis comperitur iam diu nil aliud esse, quam Scriptura S. Diuina.* Quod si ita se res habeat, paripietatis affectu cum ipsa Scriptura S. mythologiam suscipiemus, nec illa vnicum amplius constituet cognoscendi principium, sed praeter eandem idem quoque honos gentilium fabulis vindicandus erit. Id quod Hulsius liberaliter satis concedit, dum *p. 17.* Henochi Propheetiam non ex *ἀποκρ. τοις* quibusdam scriptis, sed tum *ex Scriptura*, tum *ex gentilium de Annaco traditionibus* haustam atque petitam tradit. En quorsum in infans fabularum amor hominem abripiat!

§. VII. Dum igitur HVLIVM, Melchisedecum e Fabulosa gentilium Theologia, detegentem, refutabimus; hac utemur methodo, vt praemissis generalibus, ipsamque hypothefin concernentibus, stricturis, ad specialia descendamus, et singula mythologiae capita, eoquo proponuntur, ordine sub examen reuocemus. Male (I) ex obfcura hac Theologia, certi quid et indubitati colligit, cum eandem tantae obfuscent tenebrae, vt difficillimum sit, aliquales tantum, eademque veras, a falsis seiungere stricturas. (II) *πρῶτον θεῶδος* in eo consistit, quod omnes gentilium fabulas in Scriptura non euoluendas modo suadet, sed et pro ipsamet quoque Scriptura venditat. Quod quam falsum sit ex iam dictis sufficienter patet: quibus hoc tantum addo, genti-

gentiles eos, qui bene de se meriti erant, heroes Diis adscripsisse, inque coelum euexisse. *Chrysoſtomus Homil. 1. ad Antioch.* ita hac dere-
 differt. καὶ τὸτο μάλιστα ἐστίν, ὅτις εἰδωλολατρίας τὴν ἀρχὴν καὶ τὴν ῥίζαν εἰσ-
 ἤγαγε. Πολλοὶ γὰρ καὶ πολέμους καταρδύσαντες, καὶ τρέπματα εἰσαντες, καὶ ἑτέρα
 τινα τοιαῦτα τοῖς τότε εὐεργετήσαντες, θεοὶ τοῖς πολλοῖς ἐνομιθήσαν καὶ ναοὶς ἐπι-
 μύθησαν καὶ βωμοῖς, καὶ πᾶσι ὁ τῶν ἐλληνικῶν θεῶν κατάλογος ἀπὸ τῶν σύγκριτα
 τῶν ἀνδρώπων. Quare etiam LACTANTIUS de *Fals. Relig. c. XXIX.* recte
 scribere potuit: *Mendacia Poetarum non esse in facto, sed in nomine.* Quis
 iam negare vellet, plurima in gentilium fabulis occurrere, quorum ne
 vestigium quidem in Scripturis deprehendi potest? Licet vero vtro-
 bique similes quaedam circumstantiae dentur, eae tamen rem vnam
 eandemque vix probant. Constat enim a diuersis personis aequalia
 saepe edi facta, commonstrantque illi, qui Historiarum parallelis-
 mos conscripserunt, diuersas saepe historias ita sibi respondere, vt
 non nisi solo tempore inuicem distinguantur.

§. VIII. Minus quoque recte (III) quaecunque in mythologia
 occurrunt, ex Historiis deducuntur. Negari enim nequit, alia si-
 gnificationem habuisse mere moralem, alia vero e naturae regno de-
 sumpta esse. Scilicet, quum propitia affirmari veritate possit, idolola-
 triam corporum coelestium omnium esse vetustissimam, nemo
 forsan inficiabitur, gentiles in idolis vel Solem et Lunam, vel stella-
 rum quandam coluisse, vt adeo ex hoc fonte mythologiam enuclea-
 re praefset. Num haec idololatriae species iam ante diluuium obri-
 uerit, quod vult MAIMONIDES, in *Tr. de Idololatriis*, quem cum
 Versione et Notis DION. VOSSIVS edidit, iam non disputo: cum
 contrarium post Cyrillum P. IVRIAEO in *Hist. Crit. P. III. c. II. p. 404.* et
 HVLSIO nostro *p. 57.* placeat, ante diluuianos ab omni idololatria ab-
 soluentibus. Hoc interim certissimum est, primos in orbe idolola-
 tras post diluuium Chaldaeos et Aegyptios exstitisse. At vtrique de
 incredibili, quo in Astrologiam incubuere, studio laudantur. Vnde
 factum procul dubio est, vt ob mirabilem astrorum motum, excel-
 lentem, quam asserunt, vtilitatem, et efficacissimum in sublunaria
 influxum, θεῶν τι illis inesse crediderint, et in religiosum eorundem
 cultum pertracti fuerint. De *Aegyptiis* aperte *Diod. Siculus P. 1. Bibl.*
 Τῶν ἀνδρώπων τὸ πάλαιον γυνομένης ἀναβλέψαντας εἰς τὸν κόσμον, καὶ τὴν τῶν
 ἄλων φύσιν, καταπλαγέντας καὶ θαυμάσαντας ὁπολαβεῖν εἶναι θεῶν ἀδελφεὶς καὶ
 πρώτους, τότε ἤλιον καὶ Σελήνην, ἃν τὸν μὲν Ὀσίριν, τὴν δὲ Ἴσιν ὀνομάσαι. Ar-
 paret id etiam ex illarum gentium religione, quae tantis immerfa
 fabulis non est. *Strabo L. XV. p. 103.* de *Persis* narrat, τιμῶσι καὶ ἤλιον, ὃν
 καλεῖσθαι

καλῶσι Μῆτραν, ἢ Σελήνην. Quae veneratio, num tantum fuerit *δύλατα*
 non vero *λατρεία*? vt ad Pontificiorum morem TH. HYDE in *Keig.*
Ver. Pers. distinguit, quum Romae ipsum PHILIPPVS
 A TVRRE castigavit. De *Germanis* quorum cultus omnium mihi vi-
 detur simplicissimus I. CAESAR *L. VI. B. G. c. XXI.* auctor est: *Deorum*
numero eos solos ducunt, quos cernunt, et quorum opibus aperte iuuantur,
Solem et Vulcanum et Lunam. Ipsa tandem Scriptura S. indicium non obse-
 cis testari id videtur. Iobus, quando ab idololatriae se purgat crimi-
 ne, *num,* inquit cap. XXXI. 26. *f. aspeci lucem, cum splendesceret, aut lu-*
nam clare incidentem - et osculatum est manum os meum: quibus verbis
 astrorum venerationem proferibit, vt recte *Hispanus* notat: *purga-*
se de idololatria. Solebant enim in Sacris manus osculari gentiles, vt
 e *Minutio Felice, Apuleio,* et ipsa Scriptura *S. i. Reg. XIX. 20.* colligitur. Sic
 Moses etiam, quando Israelitam ab idololatria dehortatur, *ne tollas, ait, ocu-*
los tuos versus coelum, et aspicias Solem et Lunam, Deut. IV. 19. Indicium certe
 luculentum, idololatriam tum maximam partem in syderum cultu
 constitisse. A quo ut eo fortius auocaret suos, conuincitibus ita SI-
 MONE PATRICIO in *his Commentarij up on the first Boock Moses,* et IO SPEN-
 CERO de *Leg. Hebr. Rit. LII. c. 1. Sect. II. p. m. 214.* disertis verbis horum
 creationem proposuit, cum contra Angelorum silentio praetermit-
 tat, quia illi longo demum tempore post coli coeperunt. De quo
 alii iudicent, cum multo felicius huius silentii causam assecutus mi-
 hi videatur RAMBVRTIVS, qui *T. II. Dissp. Sedan. p. 248* existimat,
propositum fuisse Mosi historiam Ecclesiae texere, ideoque mundum hunc aspe-
ctabilem, in quo collocatus fuit homo, cum modo delineasse.

§. IX. Quod si (IV) concedamus, fabulas quasdam *Historice* in-
 telligendas, imo et de Henocho explicandas esse, probandum tamen
 exiis HVLSIO restat, Henochum et Melchisedecum vnā consti-
 tuere personam. Id enim, quod *αὐτοψία* docet, praesupponit, non
 vero e mythologia euincit; adeoque omnia, quae tanta cura con-
 quisuit, plus faciunt ad ostentationem, quam solidam theos con-
 firmationem. Aperiendi porro sunt fontes, ex quibus Henochi sub
 Melchisedeci persona reditus ad gentiles promanarit. Sane praeter
Scripturam et *irraditiones* nullus alius assignari potest; qui vterque vero
 hic deficit. Scriptura enim V. T. ex qua historia illa petenda erat,
 vbique tacet, quare et Hulsus omnia, quibus pugnat, argumenta,
 e N. T. quod ea tamen aetate nondum exstabat, desumpsit. Nec
 plus subsidij e *irraditionibus* sperandum est, cum eae nihil de altero,
 qui iam factus sit, Henochi aduentum, gestisque sub Melchisedeci
 nomine officijs, referant. Non tamen puto, Iudaeos in consignan-

da hac historia, memorabili plane, et aeterna commemoratione digna, segniores fuisse ipsis gentilibus, quoniam magno illi opere traditionum studiosi existunt, vt adeo nullus dubitem, quin litteris consignata, inque posteros propagata fuisset, si vel fando a maioribus eam accepissent.

§. X. Tandem (V)rationes, quibus Henochum in Gentilium fabulis detegit, minus solidae sunt. Aliae ab Etymologia peruntur, aliae a diluuii cuiusdam praedictione. In illis coniecturis modo indulget, ipseque saepe nescit, quo pedem figat; ut quis non immerito illis in eum vteretur verbis, quae LVTHERVS Tr. von den letzten Worten Davids T. VIII. *ten. Germ. f. 158.* de Iudaeis scribit: Sie zweiffeln / tapen und suchen / wie ein Angelehrter Organist die claves oder Orgel Pfeiffen sucht und fragt; bistus / bistus? Haecque coniecturae ita plerumque sunt comparatae, vt risum magis, quam assensum imperent. E. g. quo ex Dionysio Henochum extorqueat, id nominis p. 182. deducit a Graeco Δις, et Chaldaico ܕܝܢ infula, hinc, Dionysium Dei insulanum interpretatur, qualis quidem tum fuerit, cum diluuii aqua orbis vndiquaque cingeretur. Quanti vero praestantiores Philologi deriuationes istiusmodi *μυζοβαγβαρυς* faciant, ex ADR. RELANDI verbis patescit, quibus P. II. *Diss. Miscell. Diss. VIII. §. CLX. p. 265.* Bochartum, Zoroastris nomen ex Ebraea, Persicaque linguis repetentem, ita lepide perstringit: *At, vt verum fatear, et alia uico βαγβαρυς non amo; et vocis caput in Iudaea natum esse, et caudam in Persia difficulter admitto.* Nec plus praedictiones, quas diximus, efficiunt. Quod si enim solus Henochus de diluuiio quodam vaticinatus esset, haberet forsan, quod vrgeri posset. Sed alii quoque idem praestitere, et in his Adamus, qui IOSEPHO teste L. I. c. III. *Ant.* suo iam tempore praedixit *εφαισιμὲν τῶν ἑλων ἔσεσθαι, τὸν μὲν κατ' ἰχθὺν πυρὸς, τὸν ἕτερον δὲ κατὰ βίαν καὶ πλῆθος ὕδατος.* Imo si haec aliquid euincant, omnia rectius de Noacho explicantur, nam de Henocho id nusquam expresse legitur: nec eius, quam Iudas nobis dedit, Prophetia, de diluuiio, sed extremo iudicio agit.

§. XI. Hisce igitur in genere propositis, nunc singulas, ad quas prouocat, fabulas ordine considerabimus. Primum locum ANNA-CVS tenet, quem ideo Henochum fuisse perhibet, quoniam ante Deucalionem i. e. Noachum vixisse et diluuium praedixisse dicitur: Vid. p. 148 ff. Verum licet ita iam opinati sint BOCHARTVS in *Phal. L. II. c. XIII. Opp. p. 89.* et IO. CLERICVS ad *Gen. VII. 22. p. 45.* dantur tamen alii, quibus contrarium placuit. In his B. PFEIFFERVS *Diss. de Henoch. c. 1. §. 3. p. 14. f. coniecturas* nominat, et *nominum captationes* imo

imo si eius standum iudicio, Henochum per *Ἄνωκον, κάρνακον*, et *Νένωκον* a STEPHANO et SVIDA intellectum esse asseuerari nequit. Et sane si ad ea modo, quae de ANNACO tradit STEPHANVS, attendamus, multa in iis occurrunt, sacrae, quam de Henocho Moses instituit, historiae e diametro contraria, quod nec BOCHARTVS *L. 2.* nec HVLSIVS ipse *p. 149.* negare possunt. ANNACVS a STEPHANO diem obiisse, et mox ab eius morte orbis diluuiio deletus fingitur. Sed Henochus *μετεπίθη τῆ μὴ ἰδίῳ θάνατον* *Hebr. XI. 5.* et, si calculi recte colligantur, funesta orbis inundatio annis plusquam sexcentis ab eius raptu contigit. Noachus enim anno aetatis DC. in arcam se contulit, sed, Chronologia docente, iam ante eius natiuitatem translatus Henochus erat. Quamuis vero sub Annaco Henochus lateat, nihil tamen hic de secundo, quem Hulsius fingit, reditu, nihil de Melchisedeco, quem ex gentili antiquitate se detexisse in titulo gloriatur.

§. XII. Hunc *p. 163. ff.* excipit INACHVS, eiusque filia IO. Sed et in iisdem praeter aliqualem nominis conuenientiam nihil inuenit. *Ex sola autem nominum affinitate ipso Hulsio p. 166. fatente, non procedi firma demonstratio.* Omnia interim sunt incerta, vt vix Oedipus fabulae detegendae sufficiat. G. HORNIVS in *Not. ad Sulp. Seuer. p. 2.* Inachum de Enocho, Caini filio, explicat, castigatus a BOCHARTO in *Epist. ad Vossium Opp. T. I. p. 1059.* Ex Aegypto eum oriundum censet *C. Virringa Obs. S. L. I. Diss. I. c. VII. §. 18. p. 79.* quem et antiquiorem facit Cecrope, Cadmo et Danao, vtpote quorum postiores duo sati ex eo creduntur. Videant tamen quibus fabula cognita est, num *Peuceus de Diuinat. p. m. 178. b.* eius sensum melius feliciusque inuestigauerit?

§. XIII. Maiorem probabilitatis speciem habent, quae *p. 169. ff.* de THAMMO adferuntur, quippe qui post mortem a Proserpina pillaram rediisse fingitur. Hunc vero Enochum esse ex planctu prollaram, sicut in Adonidis nomine, quo alii venire gentibus solet, Melchisedecum inueniri credit. Sed omnis, quem impendit, conatus Thammum neminem alium fuisse, nisi maximum illud coeli lumen, quod *Solem* vocamus. Nam (a) qui Aegyptiis et Iudaeis, *Ezech. VIII. 14.* THAMMVS, idem alii *Adonis* nominabatur. Vtraque, vt aiunt, manu viri id eruditissimi concedunt, summa illa, quae in vtriusque cultu deprehenditur, paritate inducti. THAMMI sacra fletibus celebrabantur. Idem de Adonidis *Plut. archus* refert; quorum etiam spectant illa *Prudentii*.

Meretrix Adonis vulneratum scenica
Libidinoso plangit affectu palam. **B 2** *imo*

Imo quo tristitia animi grauiore imbuerentur, tibiam adhibebant, *Gingras*
 vocatam, quae, *Polluce* teste, erat ἀλισκος γαῶδα, καὶ θρηνητικὴ φωνὴ ἀφίσι.
 Quod si iam quaeratur, quemnam sub *Adonidis* nomine gentiles intellexerint?
 ADR. quidem RELANDVS *l.c.* §. 3. p. 102. productis quibusdam testimoniis, non
 nisi fegetem, siue maturos calamos per eundem denotatos autumat. In qua
 etiam sententia haerere videtur I. SPENCERVS de *L. H. R. L.* II. c. 24. *Secl.* I.
 p. m. 421. Sed non video, qui senescentibus terrae fructibus nomen Ἰνν
 competat, quod Dominum significat, hincque Soli, maximo Orientalium Deo,
 potiori iure adscribendum est. Vid. VOSSIVS de *Idol.* L. II. c. m. p. 324 ff. Con-
 sentit P. IVIRIAEVS *Hist. Crit.* P. IV. c. vii p. 686. (3) THAMMVM et *Ospiridem*
 vnum constituisse numen, cum multis aliis ipse Hulsius p. 170. concedit. Hunc
 vero solem fuisse plurimis probatum dedit VOSSIVS *l.c.c.* X. p. 355. Et quis
 non videt, nomine κῆρις vel κῆρος, quo Lacones, HESYCHIO teste, Tham-
 mum denominabant, ipsummet Solem indicari, quem in Perfide ita appel-
 latum fuisse legimus? (γ) Mentio in hac quoque fabula iniicitur Veneris, Ado-
 nidem lugentis. Hanc vero e naturae regno explicandam esse auctores ἐμοδὺ-
 μαδὸν affirmant, licet in applicatione discrepent, dum alii terram, alii cum
 N. FVLLERO in *Misc. Theol.* L. I. c. xiii. p. m. 85. Lunam intelligant IVIRIAEVS au-
 tem *l.c.* p. 686. probabilissime coniicit, vniuersam naturam, eiusque, qua pol-
 let, virtutem generandi intelligi, quia Assyriis Mylitta vocatur, quasi
 Ἰνν generatrix, a verbo ἴνν peperit. Ex his procliuē foret fabu-
 lae penetralia referare, nisi id egregie iam praestitisset MACROBIVS *L. I. Sat.*
cap. xxi. cuius super hoc argumento Dissertationem HVETIVS ipse *praeclearam*
 nominat *l.c. Prop.* IV. c. III. §. 3. p. m. 119. Cum igitur ipsimet Gentiles Phyfi-
 cam explicationem fabulae subministrant, causam non video, quare ad alia
 dilabamur. Vnicum superest κρισπύγετον, Gentiles vno sibi nomine non
 vnum, sed diuersa saepius coluisse indiuidua; qua ratione etiam IVIRIAEVS in
 vna quaque fabula Deos, tum *naturales*, tum *animales*, deprehendi censet.
 Sed nondum probata satis ea hypothesis est, quae similibus quibusdam circum-
 stantiis, magna oppositi formidine laborantibus, tantummodo nititur. De-
 mus vero, rem ita se habere; Hulsius tamen ne minima quidem probabilita-
 tis specie de Henocho fabulam interpretatur. Quum enim haec suam Aegy-
 ptiiis originem debeat, in eorum monumentis historiam, fabulae maxime af-
 finem, inuestigare praestat. Hancque ob rem a *Iuriae* me dissentire profiteor,
 qui *l.c.* p. 688. cum aliqua verisimilitudine asserit, in Veneris cultu delitescere
 Euan, quae, lachrymis, iisdemque acerbissimis ob Adonidem i. e. Abelem a
 Caino occisum fuis, gaudio iterum maclata sit, cum hunc sibi filium in Setho
 redditum, et quasi resuscitatum videret. Nullus interim dubito, quin vel cum
 HVETIO *l.c. de Mose*, vel cum aliis de *Pharaone* fabula rectius acciperetur, si mo-
 do Mosen ab Aegyptiis cultum fuisse constaret, et ad Pharaonem resuscitatio
 in vitam accommodari commode posset. Quod si tamen aliquid dicendum,

Iosephum Patriarcham hic latere arbitror. Nam (1) *Osirim* et *Apim* de vno esse dicendum, veteres pariter et recentiores largiuntur. Hunc vero Symbolum fuisse Patriarchae *Iosephi*, post alios demonstravit *G. MOEBIVS* in *Select. Dissp. p. m. 12.* (2) *Osiris* vel *Apis* Rex habetur Aegyptiorum, quem liberalitas in subditos exercita, gentis suae amorem conciliauit. Pulchre haec in *Iosephum* quadrant, qui frumentis largissime collectis Aegyptios, fame et inopia laborantes, conseruauit: quare in eius rei memoriam mellis potissimum tempore *Adonia* haud dubie celebrabant (3) Conuenit *Adonidis* nomen. Non enim ipse modo confitetur, se constitutum esse *אֲדֹנִי* domus Pharaonis *Gen. XLV. 8.* sed et Aegyptii *Gen. XLVII. 18.* hoc cum titulo ter afficiunt. Nec (4) *Iosephus* desituit formae, quam in *Adonide* extollunt, elegantia, quippe qua ita heram cepit, vt eius concubitus expeteret. Cuius cum explere libidinem nolle, in carcerem innocens coniectus est, ex quo feliciter satis emerit et Aegypti totius gubernationi admotus est. Nonne hic *Adonis* nobis sistitur a *Diana* ex Zelo in uenatione per aprum interemptus, et felicissime suscitatus? Et certe si verum esset, quod de *Iosepho* commemorat *Alcoranus Sur. XII. com. 30. 31.* tantam fuisse eius pulchritudinem, vt mulieres Aegyptiae eo conspecto plane attonitae, manibus scissis dixerint: *Absit per Deum, non est hic homo: non est nisi Angelus honorandus*; nobis anxius inquirendum haud foret, quare in obscundis istis Sacris mulieres in primis fletibus sese lachrymisque dederint. Sed coniecturas sistimus, quas nobis perinde, ac *Hulsius*, sectari licet.

§. XIV. Pergit p. 147. ad *ATLANTEM*, qui, cum fingatur *Vranifilius*, *Henochnus* ipsi est, siquidem is, non ex filiis et filiabus hominum, sed *DEI* Filius exstitit. Verum haec minime denominationis ratio est, quam potius admirabilis coeli siderumque notitia *ATLANTI* conciliauit. *PLINIO* enim *L. VII. c. LVII.* astrologiae inuentor dicitur, et *SERVIVS* astrologum eum fuisse, *Herculem*que astrologiam edocuisse in *IV. Aeneid.* Scribit. Quia vero studiis, quibus vacabat, ita requirentibus, in altissimos nonnunquam montes sese conferebat, hinc a fabulosa aetate in montem, a quo totum sustineretur coelum, commutatus creditur. Vnde *Propertius L. III. Eleg. XX.*

Tu licet aspicias coelum omne Atlanta gerentem.

Quamuis, *Higyno Fab. CL.* auctore, ideo has poenas dedit, quia *Titanibus* in bello, *Ioui* illato, ducis instar praefuerat. De tempore quando vixerit, non conuenit inter auctores. Quem enim *AVGVSTINVS* de *C. D. L. XVIII. c. VIII.* ad *Mosis*, hunc *Genebrardus* ad *Itholae* Iudicis tempora refert. Quandoquidem vero nec tempora, nec aliae circumstantiae, in *Henochnum* quadrent, saluis aliorum sententiis, *Atlantem* de *Mose* interpretari malle. Hic est *Vranifilius*, quia per *XL.* dies noctesque nube obiectus, in monte *Sinai* commoratus, et cum *Deo* conuersatus est. Docuit *Herculem* Astrologiam, dum scilicet *Iosuum*, quem per *Herculem* intelligendum esse *VOSSIVS* de *Idol. L. c. XXVI.* et *HVETIVS* l. c. p. 323. contendunt, scientiis diuinis humanisque imbut. Ficta denique in montem mutatio

tatio sepulturam et mortem, quae in monte illi contigere, denotant. Nec ablu-
dit caussa, quoniam Israelitis, Titanum instar aliquoties contra Deum rebellan-
tibus, praefuit, et rupem aliquando ex impatientia bis percussit, id quod mor-
tem ipsi in monte acceleravit. Aequali, si non maiori veritatis specie haec omnia
se tuentur, quam qua Henochum hic latere haecenus creditum est. Nititur enim
omnis illa sententia vnius EVPOLEMI auctoritate ap. EVSEB. *L. IX. Praep. c.*
XVII. et traditionibus quibusdam, scriptisque *ἠποκρῶφους*, quorum in centum
referendi sunt *libri Enochi*, ab Origene *Homil. XXVIII. in Num.* citati, quibus
comprehensa fuisse, ait, secreta de nominibus non solum plagarum, sed et o-
mnium stellarum atque syderum. Verum quid si haec de alio quodam Henocho
agerent? BARTOLOCCIVS certe in *Bibl. Magn. Rabb. P. II. p. 845.* ex testimonio
Hebraeorum antiquorum probat, Enochum, qui cognominatus est *אֵנוֹךְ*,
valde diuersum fuisse ab Henocho, cuius Moles meminit, multisq; seculis illo
posteriorem. Cui LVD. MARRACCIVS subscribit, quando in *Refut. Aeor. ad*
Str. XIX. p. 435. inde colligit, Mahumedem, cui Henochus subinde vo-
catur *عَنُوك* duos simul permiscuisse Henochos, sicut duas confu-
dit Marias. BOCHARTVS interim, qui in *Phal. L. II. c. XIII. Opp p. 89.* veteri
subscripsit sententiae, ex sua ipsius hypothese confellit. Atlas namque Prom-
thei dicitur frater. Quod si Prometheus fuerit Magog, Iapheti filius quod
L. I. c. III. p. 12. contendit, sane non video, quomodo Atlantem de Henocho
exponere queat.

§. XV. Succedit *p. 178.* ZOROASTER, quem Henochum esse probat,
tum ex Astrologiae inuentione, ipsa *Iustino* vindicata, tum ex nomine *Mog*,
quod Arabibus: *vndas iactavit*, denotat: cui posteriori tantum tribuit roboris,
ut hoc vno et solo indicio quis contentus esse possit. Sed nec translationis in coelum
empyreum obliuiscitur, cui dandum esse *p. 180* iudicat, quod de Zoroastre igne
coelesti absumpto, fingitur. Non equidem I. GOROPIO BECANO ad stipulor,
qui Zoroastrem certum quendam hominem fuisse inficiatur, quamuis postea sui
quasi oblitus, Iaphetum eo venire nomine existimet. Hoc enim pari veritate asse-
ritur, qua IS. VOSSIVS notatus IO. REISKIO *de Vatic. Sibill. c. 33. p. 65.* Zoroastri
libros a Iudaeis confectos esse contendit. Interim tamen cimmeriis immersum
tenebris remanet, quis ille fuerit et quando vixerit? PHIL. CLVVERO *L. I. Germ.*
Antiq. c. XXIII. Adamus est; Sed hunc perstrinxit LAMBECIVS *L. I. Prodr. H.*
L. c. 7. p. 53. Alii pro *Chamo* eundem habent, quos BOCHARTVS *L. c. I. p.*
204. et GV. SALDENVS *SinOis Theol. L. I. Exerc. I. § XI. p. 10.* refutant. HVETIVS
L. c. Prop. IV. c. V. §. 2. p. 150. pro *Mose* militat, hancque *non leuibus mixam con-*
iecturis opinionem nominat. a SALDENO nihilominus *L. c.* reiectam. HORNIVS
in *Hist. Phil. L. II. c. VI.* personam *Bileam* illi imponit. A quibus quam longissime
recescit TH. HYDE, qui de *Rel. Vet. Pers. cap. 24.* verum eius nomen *Zerdushtre*
esse dicit, quam, imperante Dario Hyftaspe vixisse, et Esrae discipulum fuisse
autumat. Conuenit in assignanda temporis periodo Vir prae ceteris in hoc

studiorum genere exercitissimus D. 7. A FABRITIVS, cui in *Biblioth. Graec.*
L. 1. c. 36. §. 4. p. 245. probabile est, quod *Perfomedes* fuerit, qui Darii Hysta-
 spis temporibus claruit. Sic igitur omnia sunt incerta, quod opinionum incer-
 tum G. I. VOSSIVS *L. 1. de Idol. c. 5. p. 32.* iure meritoque inde prouenisse arbi-
 tratur, quia complures eius nominis existerunt, in quorum determinando nu-
 mero, quantopere auctores fluctuent, celeb. FABRITIVS, quem Musae vetant
 mori *! l. c. §. 1. p. 243.* exponit. Illud tamen certo certius est, decantatum illum
Zoroastrem in Perfide vixisse: quum in eo scriptores, *Plutarchus, Laevius, Ag-*
gathias, alii conueniant, quod is opinionem de duplici principio, boni altero,
 altero mali, quorum illud *Ὁρμασ δην*, hoc vero *Ἄπειμδνογ* vocarunt, primus
 ibi docuerit. Stabilitur hoc vltius ex nomine *Mog*, quod non ab Arabibus,
 vt *Hulfius* putat, sed ab illa potius gente, in qua Magi versabantur, petendum
 est. Haec vero, quod nemo negabit, Perfica est, cui Magi iidem erant, qui
 Graecis Philosophi, vt *Laevius, Suidas* et alii testantur. Et licet Capadociae
Strabo, Mediae *Herodotus*, Arabiae *Plinius*, Magos quoque attribuant: videntur
 tamen eo nomine in sensu modo generaliore omnēs promiscue sapientes
 denotasse, sicut de Gallis *Plinius L. 16. cap. 16. Nihil*, inquit, *habent Druidas,*
ita suos appellant Magos, visco et arbore sacratius. Quod si igitur solis Persis
 Magi vindicandi sint, rectius ex eorum quoque lingua id nominis explicatur.
 In ea autem *Presbyterum* et *Sacerdotem* denotat, *Apuleio* et *Porphyrio* testibus,
 cum quibus conferri merentur B. A. PFEIFFERVS in *Exot. N. F. Loc. 3. annex.*
D. V. p. 887. et A. RELANDVS *P. 2. Diss. Misc. Diss. 8. §. 84. p. 188.* Ex quibus iam
 vltro consequitur: Zoroastrem ita fuisse dictum, ab officio dignitateq; quibus e-
 minuit, non vero, quae absona *Hulfii* coniectura est, ab vndis in diluuiio commo-
 titis. Sed quis amplius dubitat, Hulfium merae rationis entibus delectari, qui i-
 ipsum adeo Emphyreum coelum in subsidium vocarit? Videat autem, ne ab i-
 gneo illo coelo omnis, quem insumit, labor comburatur, inque fumum abeat!!
 § XVI. Sequitur DIONYSIVS, cui BACCHVM *p. 210.* citatum addim9. De ludic-
 ra, quam adfert *Dionysii* deriuatione, §. 10 pauca dixim9. Aliam suppeditat VOS-
 SIVS de *Idol. L. 1. c. 19. p. 146.* cui idem est, quasi *Ioui-Nysus*, quia quodammodo
Iouis ob generationem, et *Nysus* ob educationem filius extiterit. BOCHARTVS
in Phal. P. 2. L. 1. c. 18. p. 440. vocem hanc factam putat ad instar Hebraeorum
בכור נוסר quas a Mose altari inscriptas, posterius DEVM Nysaeum vel Nysaeum
 interpretati, putarint ibi esse Nysam, et Bacchum pro Iehouah Nysaeo *Διόνυσος*
 appellarint, Iouem Iehouae substituentes. Ex Graecia tamen eius natales cum
Macrobio repetit N. FVLLERVS *Misc. S. L. 4. c. 14. p. m. 510.* et *Διόνυσος*, quem
 Solem esse arbitratur, *ἀπὸ τῆς δεινῆς*, quod circumferatur in ambitum, dedu-
 cit. Nihil hic desinio. Hulfius tamen omnem probandi vim sibi met ipsi subtra-
 xit. Dum enim *p. 252.* alias deriuationes sectatur, ipse satis largitur, lubricae val-
 de esse, quae ab etymo desumuntur, argumenta. Nec plus reliqua efficiunt,
 quam diuersae, caedemque verisimiles nonnunquam, fabularum interpretatio-

nes luculenter prodant, eas sese cerei instar nasi habere, qui quocunque lubet, flecti possit. Sunt, qui cum VOSSIO *l.c. p. 144* et IVRIAEO *l.c. p. 560. de Noacho*, exponunt, qui vites primas plantasse, et vini conficiendi rationem inuenisse creditur, quod ipsum Baccho adscribunt Gentiles. *Virgilius L. 1. Georg. v. IX. ff.*

Liber et alma Ceres, vestro si munere tellus

Chaoniam pingui glandem mutauit arista,

Poculaque inuentis Acheloa miscuit uuis.

BOCHARTVS *l.c. l. 1. c. 2. p. m. 12. de Nimrodo* fabulam intelligit, idque *rationibus non contemnendis* a se probatum iactat *P. 2. L. 1. c. 18. p. 440.* attamen quantum mihi constat, nemo assensum ei praebuit. *Mosen* subesse post alios existimant HVGO SANFORDVS, de *Descensu Christi*, HVETIVS *p. 133.* et Dn. MOREAV de MAVTOVR in libro: *Dissertation sur vne Figure de Bronze, trouuée dans vn Tombeau, et qui represente vne Diuinité des Anciens*, Paris. 1706. 8. ed. Vrgent inprimis cornua, quibus pingitur, ob quae Euripidi et aliis Ταῦρ. Ἐ. saepe et Ταυροκόρπυς nuncupatur. Licet vero de Mose expressis illud probari nequeat, occasionem tamen suspicandi dedisse dicunt *locum Ex. 34. 29.* quamuis SPENCERVS, citatis sibi ἑμοφύφοις, Hieronymo, Grotio et Drepanio, omnino de *Leg. Hebr. Rit. L. 3. Diff. l. c. 4. Sect. 3. p. 50.* putet, vere Mosen facie cornua a de monte venisse, vt nempe dignatione maiore acciperetur, cum cornua plerumque dignitatis et excellentiae singularis documenta omnibus peregrinitibus haberentur. Hoc vero est contra ipsius Scripturae ἐπι' υσι 2. *Cor. 3. 7* errorem committere, qui suos natales vitiosae versionis vulgatae debet, in quae pictoribus iam dudum, et nuperime a CONRADO MEL. in *Antiquar. N. Sect. 3. c. 2. §. 2. p. 58. f.* castigatus est. Sed ad Bacchum redeamus, quem alii ob duplicem quae de eo fingitur, naturam, ipsummet Dei filium statuunt, a quorum mente ne *Hullsius p. 254.* abhorret. Rectius e naturae regno explicatur. *Orpheus* citante *Macrobio L. 1. Sat. cap. 18.*

ἦλιος, ὃν Δι' υσον ἐπικλησιν καλέουσι

Et *Anselmus Epigr. 32.* Bacchum eundem cum Osiride esse dicit, qui nullus alius, nisi Sol. Conf. VOSSIVS *l.c. L. 2. c. 14. p. 375.* Quod si denique Thammus et Bacchus vnum denotent indiuiduum, quod variis argumentis IAC. GVSSETIVS in *Com. L. Ep. m. 903.* euincere voluit, eadem de Baccho dicenda erunt, quae iam supra de Thammo proposuimus.

§. XVII. Restarent quidem adhuc nonnulla alia, quae tamen ita comparata, vt nullam vel considerationem, vel refutationem mereantur. Tibi vero, B. L. cum nunc nostro contra Hullsium labore defuncti simus, iudicandum sistimus: Num *Melebis edecus vna cum Parente ex tenebris, cum Scripturae S. cum Fabulosae Gentilis emerferit, et Hullsio vindice, caput suum protulerit?* Nobis sufficit, quod Viri eruditissimi ab eo pariter dissentiant, in quibus nomen proficitur I. MARCKIVS, post quem brevissime nuper in *Nor. Sel. ad Ebr. 7. 1. p. 47.* cum notauit, I. B. STARCKIVS, qui tamen ipse ob *recoctam*

CVNAEI hypothesin notandus erit.

T A N T V M !

Aug VI 15




Sb.

Reho
VD 17
KD 18 1







Q. D. B. V. 54

56.

MELCHISEDECVM

AB

HENRICO HVLSIO

IN

GENTILI MYTHOLOGIA FRVSTRA QVAESITVM,

SVB AVSPICIIS

RECTORIS MAGNIFICENTISSIMI,
SERENISSIMI PRINCIPIS REGII, ET ELECT. SAX.

HEREDIS,

D O M I N I

DN. FRIDERICI AVGVSTI

PVBLICAE VENTILATIONI

SISTENT

PRAESES

M. IO. HERMANNVS von Elßwisch/
RENDESBVRGENSIS

ET

RESPONDENS

ANDREAS ARGYREVS, TESCHINIO-SILESIVS
SS. THEOL. ET PHILOL. CVLTOR.

Ad D. XIX. IVL. A. O. R. 1700

H. L. Q. C.

VITEMBERGAE

LITERIS KREISIGIANIS.

